

Biogr. er. D
1543, 36 P

ACTUS DO- CTOREUS

In promotione

F R I D E R I C I B A L-
D V I N I D R E S D E N S I S
Theol. Professoris publici,
in Acad. Witeberg.

a. d. 23. Julij 1605.

P R O M O T O R E

Viro Reverendo & Clarissimo,

D N. G E O R G I O M Y-
lio S S. Theol. D. & Professore, Pasto-
re ac Superattendente generali.



V V I T E B E R G Æ,

Impensis Zachariae Schureri, per Iohan. Gorman,
A N N O M. D. C. VI.

Biogr. er. D.

543,36 P

Aus der
Schloßbibliothek zu Gels
1885

13181

Præstantissimo viro, pruden-

tiâ, doctrinâ, & virtute ornatissimo,

Dn. IOANNI TEV-
C H E R O,

Serenissimo Electori Saxoniæ à Secretis, Domino meo
Compatri & Amico plurimum colendo.

S. P.



As pagellas strenæ loco ad Te mitto,
Vir Præstantissime, compater & amice ho-
norande, in quibus etsi minima pars mea sit:
tamen hac vice ex alieno mihi liberalem esse
licuit, quia quidquid hic laboris & studij Re-
verendi Domini Collegæ mei impenderunt:
id omne honoris mei gratia susceptum fuit. Ejus honoris spe-
ctatorem Te in primis exoptaveram, & si per Te stetisset, jam
exoraveram: sed quia Serenissimi Electoris, Domini nostri
clementissimi (cuius Tu quoq; fiduci & expedita manus es) ex-
peditiones publicæ fidei curæq; tuæ commissæ vota nostra in-
terceperint: committere nolui, ut optimis istius festivitatis
ferculis, quibus Te apprimè delectari scio, omnino defrau-
darere. Proinde ad explendum Tuum desiderium & conte-
standum meum in Te Tuosq; animum nunc quasi postlimi-
niò Tibi communico, imò jam Tras facio orationes Reve-
rendorum Dominorum collegarum meorum in Actu meo
Doctorali habitas, eas quidem (propter geminum Theologo-
rum & Iurisconsultorum uno eodemq; tempore celebratum
actum) solito fortasse breviores: tales tamen tantasq;, quæ

A 2

& pro-

& propter nomen Autōrum in Ecclesia Christi jam celebra-
tiissimum & propter rerum gravitatem ex temporum nostro-
rum statu natam & Theologos & Politicos juvare & delecta-
re possunt. Eas, vir Praestantissime, Compater & amice ho-
norande, benevolo animo hilariq; fronte accipe, & τεκμηρίου
mei in Te nunquam intermorituri amoris ἀμετάπλωτον h̄be.
Ita Te Tuosq; omnes & hoc instanti & mox sequentibus an-
nis quamplurimis divina sospiter benignitas, omnibusq; Tu-
is actionibus & institutis in salutare boni publici priviq; incre-
mentum clementer benedicat. Vale. Dat. VVitebergæ prid
Natal. Domini 1605.

P. T.

Compater Studioſiſſ.

Fridericus Balduinus, S. The-
olog: D. & Profess. ordinar.



D E C A

DECANUS COLLE- gij Theologici Leonhartus

Hutterus S. S. Theologiae Doctor & Professor pu-
blicus: Civibus Academice VVitebergensis,

S. D.



Ræclarè omnino de Republica Christiana me-
ri, semper sunt judicati, qui ingenij dotes di-
vinitus sibi concessas, ad eam potissimum sci-
entiam conferunt, quam THEOLOGIAM ap-
pellare solemus: quæq; in tractandis sacris unicè
est occupata. Dum enim alij, vel proprio honori
velificantur, vel opes atq; divitias corradunt, vel studiis atq; ex-
ercitiis occupantur aliis: isti ex vera in Deum & in patriam pie-
tate, omnes ingenij judicijq; nervos, omnia studia atq; consilia, in
salutem proximi, publicamq; Ecclesiae utilitatem referunt: ut
(quod Apostolus innuit) & seipsoſ servent, & eos, qui ipſoſ audie-
rint. Quâ functione, nûm ulla vel sanctior, vel præfantior, vel
dignior, homini, hac quidem in vita, obtingere queat, Divinatore
Oedipo opus haud fuerit. Certè cùm artes atq; scientiæ, subiectis
(scholarum liceat uti termino) discernantur: ea utiq; reliquis sin-
gulis ac universis, palmam facile anteverterit, quæ non hujus tan-
tum seculi spatiis terminatur, non evanida tantum corporis & for-
tunæ bona ſectatur, non ea deniq; dyntaxat curat, quæ w̄oſ m̄ ān-
Q̄ni faciunt: Sed quæ in infinitam usq; æternitatum omnium æter-
nitatem penetrans, illud præstat, ut hac quidem in vita, p̄ie erga
Deum, justè erga proximum, sobrie erga teipſum: ex antlatis vero

A 3

mundi

mundi hujus miseriis, aeternum cum Deo, cum Angelis, cum Electis omnibus, bene beatèq; vivere possis. Quid? quod sacro sancta THEOLOGIA nostra, reliquis artibus atq; scientiis in universum omnibus, faciem veritatis & perfectionis prefert: sine qua tenebras verius atq; ignorantias, quam scientias, eas vocaveris. Hec enim vera rerum creatarum omnium principia, non minus perspicue, quam verè describit: Hec precepta Ethica, benéq; vivendi regulas longè saluberrimas prescribit: Hec verum à falso, bonum à malo, lucem à tenebris exactissimè distinguit: Hec fontem legum bonarum omnium aperit: Hec quid justum rectumq; quid vitandum, quidvè persequendum sit, luculenter ostendit: Hec historiam rerum jam inde ab orbe condito gestarum, quam verissimam, quam antiquissimam, fidelissimè pertexit: omniumq; aliarum historiarū, fundamenta ponit longè firmissima: Hec veram illam, maximēq; efficacem Rheticam sive artem dicendi tradit: quæ nimirum non ēν τειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ēν δοκτορίαις τελεύματοι καὶ δυνάμεως consistit, ut fides etiam nostra, non sit ēν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ēν δυνάμει θεοῦ: ut loquitur Apostolus, I. Cor. 2. 4. & 5. Hec deniq; non anima modo medicinam maximè salubre facit: sed et corpori cœlestem illam ταραχέα propinat, quam aeterna & nunquam insirmande sanitati restitui queat.

Tanti igitur momenti cum sit THEOLOGIA, Quis non singulari & amore & reverentia dignos judicet illos, qui summa fide atq; diligentia in id incumbunt, ut ex ea singuli isti usus ad Rem publicam Christianam redundare possint. Respexerunt huc dubio procul, pī Majores nostri, qui in sacratissima scientia nostra Theologica haud minus atq; in reliquis scientiis, certos honorum gradus decreverunt iis, qui in hoc ipso studiorum genere, non modo ipsi multum opera ac studij posuerunt: sed de quibus spes haud vulgaris concipi poterat, ex ipsorum laboribus ac studiis plurimum comodi & emolumenti ad Ecclesiam Christi redundare posse. Quod laudabile institutum, jam inde à prima Academia hujus fundatione, in Facultate etiam nostraritè observatum fuit: frustra illud improban-

improbante Andrea Caroloftadio, qui Anno 1523. die 3. Februarij,
in promotione publica duorum S. Theologiæ Doctorum, Iohannis
VWestermannii, & Gotschalcij Croppij, in hæc verba erumpere non
dubitavit: Testor me posthac nullum amplius in quemvis
gradum subvecturum: Piè enim hoc facere non possum.
Cujus rei indignitate motus D. LV THE RV S noster, furorem
hominis istius, his verbis, Libro Statutorum Collegij nostri inser-
tis, taxare voluit: Et ego testor hac mea manu, me in eodē
Actu affuisse: & sacrilegas has voces, ex ore ejus blasphem-
mo audisse: Sed quibus tunc palam reclamare non licuit:
Ego prudēs facio impiè, quod propter duos florenos, pro-
moveo. Et contendebat ex Matth. 23. capite, neminem es-
se vocandum Patrem, aut Magistrum in terra, sed unum
esse Magistrum & Patrem in Cœlis &c. Ex quibus intelli-
gitur, quo Spiritu cœperit suam Theologiam. Martinus
Luther m. propriā.

Sed misso Spiritu Caroloftadiano, ad id, cuius gratia hæc differ-
tatio instituta fuit, accessum facio: ubi tamen haud longiore com-
memoratione opus fuerit, quâ occasione, Electorali autoritate, Re-
verendo & doctissimo viro, M. FRIDERICO BALDVINO
Dresdensi, Ecclesiæ prius Oelsnicensis Pastori ac Superintendenti, le-
gitime huc evocato, Professio Theologica, hac ipsa in Academia, de-
mandata sit. Illud potius scire vos velim, Virum hunc Reverendum,
ad sublimiorem istam functionem electum, non propria motum
voluntate, aut causis aliis levioribus adductum: Sed vi Statuto-
rum Collegij nostri impulsum, superioribus diebus, honores in Theo-
logia summos, quos Doctoreos appellamus, sibi conferri, modestè &
humaniter petuisse. Huic sane ipsius petitioni uti libenter annui-
mus: ita re ipsa deprehendimus, ipsum a pia eruditione, eruditaque
pietate, apprimè paratum esse, & cum hoc insigni ornamento, pu-
ritatem in doctrina Christiana exquisitam conjunxit: Simul etiam
egregiis in docendo donis, rerumq; Ecclesiasticarum usu multiplici
præclarè instructum esse. Cujus rei specimina bñne multa, & ea
quidem

quidem satis illustria, partim in disputatione publica, Concionibus
item & Lectionibus ab ipso hactenus institutis: partim vero in
privatis Examinationibus ac Colloquiis fæliciter edidit. Proinde
Doctorei honoris titulos, insignia & privilegia, ipsi ad diem Mar-
tis proximum solenniter conferre, gravi & maturo consilio decre-
vimus. Quæ solennitas ut reddatur illustrior, tum omnes omnium
ordinum Academiæ nostræ cives, tum nobilem ac studiosam Iuven-
tutem, rogamus atq; hortamur: ut die jam nominato, sub horam
VII. ad templum arcis confluant: & non tam solennem hanc re-
nunciationem, frequentia sua ornent: quam pīis votis ac precibus,
afflictum satis tum Ecclesię, tum Reipub. Christiane statum
eterno Deo commendent. P. P. VViteberg:.

Dominica VIII. post Trinit. A. D.

1605.



ORATIO



ORATIO

D. D. GEORGII MYLII &c.

*De
Papa Sanguinario & Bellatore.*

Ogitanti mihi hisce diebus proximis, Princeps Illustrissime, Rector Magnificentissime, Magnifice Domine Prorector, Generosi Barones, Nobilissimi Consiliarij, Reverendi, Magnifici, Nobilissimi, clarissimi viri, Concio ornatisima, cogitanti, inquam, mihi diebus hisce proximis de argumento dicendi, huic tempori conveniente, atq; huius rei gratia Ephemerides inspectanti, tum Iulias veteres, tum Gregorianas novas, in his præcipue geminum nomen lese obtulit, Stephani unum, non protomartyris illius: sed Flaminis Romani: Liberii alterū, & sic utrumque Pontificium. Quo viso, statim in hanc tacitam cogitationem sum deductus: quid sit, cur Pontificum Romanorum nomina, pleraq; ferè omnia, Ephemeridibus inserta hodiè etiamnum extent. Consilij id fortassis aliquibus esse videbitur, præcipue Romani idoli intentionem considerantibus. Ego fati alicuius illud esse existimo, quo memo

ria conservetur flagitorum & confederationum,
nullis seculis intermoritura, quibus se Romanæ
sedis Præsules longissimo temporum decursu no-
bilitarunt. Inter quas principatum facile obtinet
tyrannis, & sanguinaria crudelitas, quâ effractis
timoris divini repagulis, scelere plusquam Tragi-
co, animo plusquam gladiatorio, totus penè orbis
religione solitus, concitatus est, quemadmodū de
sacerdotum culmine, Rom. Pontifice, Budæus de
Asse loquitur. Quæ cogitatio hoc præcipuè tem-
pore usum necessarium habere mihi visa fuit, quo
à nostræ etiam religionis hominibus non mussi-
tatur, sed asseritur: non cogitatur, sed dicitur, scri-
bitur, pugnatur, inter hos bellorum tumultus, & in
miserabili illo, quod Germaniam hinc inde cingit,
incendio, nihil nobis esse à Romano Pontifice pe-
riculi, satis tutas esse nostras res à Latini Præsulis
insidiis; Atrocissimam esse eorum suspicionem,
qui cessante bello Turcico, bellum metuant Pon-
tificium. Parum abest, quin ad hasce voces à Ger-
manis, à literatis, à religiosis etiam hominibus
sparsas, ego totus contremiscam. Frequentissi-
mum initium calamitatis ex securitate esse, Velle-
jus dixit Paterculus, insuper illud addens, nem-
nem celerius opprimi, quam qui nihil timet. Ni-
hil tutò in hosce despici, Curtius scriptum reli-
quit, quem spreveris, valentiorem negligentia
facies. Incredibile esse Æmilius sentit, Nimia fi-
ducia

ducia quantæ calamitatis esse soleat. Quæ ratio
in eam me sententiam inducit, ut si ad corrum-
pendas nostras partes, largitiones opulentissimas
in Germaniam emisisset Pontifex, si ablegasset ex-
ploratores, qui ad libertatem Germaniæ proden-
dam, juratas ipsi præstarent operas: si jam conscri-
ptum in Italia haberet militem, & equitum tur-
mas jam dispositas, quibus provincias nostras in-
vasurus esset: ego vix in majori periculo patriam
nostram versari existimem, nondum esse Germa-
niæ tantum damni paratum arbitrer, quantum in
hac una opinione inest calamitatis & periculi.
Vobis ergo imis pectorum penetralibus hanc esse
infixam sententiam velim, quæ mihi jam dudum
est persuasissima, sanguinarium esse Pontificem
Romanum, & planè bellatorem, non qui pacis
studio bella gerat, quod in pio bellatore requirit
Augustinus, sed qui libidinem dominandi belli
cauiam habeat, & maximam gloriam in maximo
imperio sitam putet, ut huc Sallustij verba trans-
feram, qui pacem non alio loco habeat, quam ut
quærendi belli commoditate fruatur: immo bellato-
rem talem, quem nisi ad extremam guttulam pro-
fuso piorum sanguine, conquiescere furor bellum,
nullo modo patiatur. Qua de re paucis ad vos ver-
ba facienti, brevissimi temporis usurâ benignè cō-
cedi mihi cōprecor. Quòd si tāta una posset esse o-

*De verbis
Donini.*

ratio, quanta res est ipsa: magnum me ad salutem
Reipub. Christianæ momentum afferre posse con-
fiderem. Nunc levi & brevi brachio res attentan-
da, nō consummanda est. Cujus orationis meæ nō
hic scopus est futurus, quasi classicum canere, & ad
arma capienda concitare nostros homines velim
(Non enim carnalia sunt nostræ militiæ arma) sed
partim ut ad precum ardorem securos nostrorum
hominum animos excitem: partim cautos esse ju-
beam, qui arma jam corripiuerunt: partim circum-
spectos moneam hos, qui pace frui sibi jam viden-
tur, juxta illud Vegetij: Qui pacem desiderat, bel-
lum præparat. Neq; ego metuo, ne in peregrina,
aut ab instituto aliena materia versaturus vobis es-
se videar. Candidatum produco, cui in subselliis
Theologorum deinceps locum esse cupio. Cui or-
dini in conventu Smalcaldico Lutherus sic bene-
dixisse perhibetur; Impleat vos Deus odio Papæ.
Quod si partem hujus voti vel apud vos, Auditores
Illustrissimi, Generosissimi, Nobilissimi, Magnifi-
ci, Reverendi &c. vel saltem apud hūc candidatum
hac mea oratione consecutus fuero: munere meo
feliciter me perfundum esse arbitrabor.

Foban: 8

Iā ut hinc mea egrediatur oratio, indubitato cō-
stat oraculo, Satanā patrē esse mendacii, & homici-
dam ab initio. Non id quidem eo duntaxat sensu,
quod utriusq; mali origo ab autore Satana depen-
deat, quo sanè dari aliud sublimius principium in
utro.

utroq; malo non potest: sed quod utriq; malo magna conjunctio intercedat, & mendacium dari, præcipue in religionis & cultus divini negotio vix unquam possit, quin à latere quasi homicidium adhærescat: imò quod religionis falsæ propagandæ exordium ab homicidio truculentissimus humani generis hostis fecerit. Ex quo principio hoc defluxit, ut sanguinariam mentem, jam inde à prima conditi mundi origine, religio falla quælibet, conjunctam sibi habuerit, nullaq; inventa sit hæresis, quæ non armis sese propagatam voluerit, eò plerumq; furentibus, quò majoris mendacij & falsitatis sibi fuit conscientia. Repetite memoria antiquissimorum seculorum eventus, eos præcipue, quæ religionis inclinatione in populo Dei facta, sub Regibus Iuda & Israël contigerunt: & sensus vobis de hæreticis idem erit qui fuit Stephano de Iudeis: Quem Prophetarum non sunt persecuti patres veltri, occisis ijs, qui de adventu Iesu Iusti sunt vaticinati? Christi & Apostolorum seculum quid attinet in medium adducere, quod nobis vivum exhibet hujus rei commentarium? Historiæ Ecclesiasticæ filum deducere, longum foret. Commemorare ea, quæ Patrum nostrorum actas vidit, quæ in nostram etiam memoriam inciderunt, opera non duco esse premium. Summa omnium in id redit, quod est à Christo nudius tertius præmonitus, Luporum rapacium similes esse Pseudoprophetas,

quibus non in præda satis est, quo noceant, nisi
strage etiam edita & laniena, lupinæ feritatis rabi-
em expleverint. Iam in Pontificem Romanum
omnis ferè omnium hæresium lerna ita confluxit,
ut hæreticæ labis sentinam in compendio quasi i-
sto deprehendi plus quām certum sit. Sanguinari-
um ergo illum, & truculentum esse, hoc vel solo
argumento constare luculenter potest.

2.

Apoc. 17.

Ad Euge-
niū Epist.
ad Marcell-
lam. Quæst.
ad Aigasi-
ani u. in
præfat. ad
lib. Didymi.
in Epist. ad
Paulinam
inf. l. 7.
contra Io-
vinian. in
vita S. Ma-
rie.

Iam illud etiam considerationem accuratam
meretur, quod Ioanni revelatum est, Meretricis
Babyloniae proprium hunc characterem futurum
esse, quod sanguine Sanctorum, & testium IESV
inebrianda sit. Hac visione Romam esse notatam,
si nos Evangelici primi sumus, qui asserimus: quin
fides nobis sit abroganda, neutiquam abnuo. At
qui dixit hoc ante nos Bernhardus: dixit pluribus
in locis Hieronymus: dixit Tertullianus l. 11. cont.
Iudeos & l. 3. cont. Marcionem: imo dixit idem
testis exceptione omni major, Petrus Apostolus,
l. Pet. 5. His tantis testibus, quia fidem negare ne-
fas est, vix nisicūm ratione insanire dicendus est,
qui aliud à Papa, quām sitim sanguinis, quām cæ-
des & bella esse expectanda affirmaverit,

3.

Sed ad testem temporum, lucem veritatis,
nuntiam vetustatis (quam eloquentiæ Magister
historiam appellat) nostra se convertit oratio.

Poscit hoc, inquit contra Faustum Augusti-
nus, poscit hoc inquam, ordo naturalis, mortali-
um pa-

um paci accommodatus, ut Iusticiandi belli au-
thoritas atque consilium sit penes Principes. At
enim quicquid annis septingentis funestorum bel-
lorum in orbe Christiano gestum est, illud ferè o-
mne gestum est, vel autoribus, ducibus atq; adju-
toribus: vel suasoribus atq; instigatoribus: vel ap-
probatoribus saltem Pontificibus Romanis. Ale-
xandrum M. moribundum dixisse refert Plutar-
chus in apophateg. Magnas video mihi futuras ex-
equias, bella innuentē, quę se defuncto in imperio
suo exarsura essent. Potuit hoc ad se etiam accom-
modare religio & pietas, quæ primatu Rom.
Pontificum invalecente, in fata sua quodammo-
modo concedens dicere potuit; Video magnas
mihi paratas esse exequias. Quod si quis est, qui me
ex affectu loqui putet, huic ego ex aula ipsa Roma-
na sistam pro me testem Platinam, qui circa hæc
ipsa, quæ subindicavi, tempora, de sedis Rom. E-
piscopis sic scriptum reliquit, Verūm est certè,
quod Crispus ait: Quæ orta sunt, occidunt: quæ
aucta, senescunt. Imperium ipsum Rom. magnum
habuit incrementum. Verūm postea Principum
ac populi Rom. ignavia, splendor ille Romani
nominis, in obscuras tenebras conversus est, tum
vel maximè, ubi remissa exercitatione virtutis,
voluptatibus se homines tradidere. Idem etiam
accidisse Pontificali dignitati dicere possumus.
Sanctitate enim & doctrina, quæ non nisi ma-
gnis laboribus, consummataque virtute com-

Fol. 131r
in Benedi-
cto IIII.

paran.

parantur, Pontificium decus sine ullis opibus pri-
mò quidem auctum est, inter tot hostes & obsti-
natos persecutores Christiani nominis. Mox verò
ubi cum ipsis opibus lascivite cepit Ecclesia Dei,
versis ejus cultoribus à leyeritate ad lasciviam, pe-
perit nobis tanta licentia peccandi, nullo Princi-
pe flagitia hominum tum coercente, H. & C.
PORTENTA, à quibus ambitione & largitio-
ne, sanctissima Petri sedes, occupata est potius,
quam possessa. Primum in hoc ordine sibi rectil-
limè vendicare potuit Ioannes X. qui Platina teste
spiritus militares, magis quam religioni deditos
gerens, in aciem etiam ipsam progredi, & parta vi-
ctoria, triumphos militares agere non cohorruit.
Quod ipsum post Ioannem X. primus facere Leo
IX. teste Sigonio, non erubuit. Hos secuti, imita-
tiq; Callistus II. Innocentius II. Alexander III.
Clemens III. Honorius III. Martinus IV. Vr-
banus V. & VI. Sixtus IV. & alij complures, non
milites Christi, sed Romuli vicarios atq; successo-
res sese præstiterunt. Corruptos hominum mores,
inquit Augustinus, bellis emendat Deus. De aliis
bellis rectè hoc dixit Augustinus, si intentionem
Dei potius, quam eventum bellorum consideres.
Pontificiis istis bellis non emenda*t*i sunt: sed in pe-
jus subinde degenerarunt corruptissimi Ecclesiæ
mores, Pontificum præcipue Romanorum, quos
in eam rabiem vertigo animorum temporib. istis
abegit.

*Regni Ital.
l. 8.*

*De civit.
Bell. c. 1.*

abegit, ut bellorum concitandorum gerundo
rumque causa præsulatu isto lese fungi arbitras-
rentur, imò in hoc studio partem religionis non
postremam consistere existimarent. Victor III.
ad frangendam Saracenorum, qui in Africa e-
rant, insolentiam, exercitum ab omnibus parti-
bus Italiæ convocatum ingentem, tradito vexil-
lo B. Petri, & noxis peccatorum omnium rela-
xatis, in Africam misit, & per eos centum millia
hostium cæcidit, referente Sigo. Urbanus
II. militiam novam Christi cōmentus, quæ ad
recuperandam à Saracenis Ierosolymam profi-
ciceretur, trecenta hominum millia animavit,
qui nomine militiae isti dato, signum crucis, ut
tum ferebat sermo, susceperunt, quod Platina
recensente constat. Huius exemplo excitatus
Eugenius III. Crucem iterum indixit ac totum
occidentem ad arma capienda concitavit, ut scri-
bens ad Eugenium de multitudine eorum, qui
militatum irent, Bernhardus dixerit, Exhauriri
urbes & oppida, nec temerè inveniri, quem se-
ptem mulieres virum unum prehenderet, quod
ubique viventibus viris viduæ remanerent. Cu-
ius generis fuit illud etiam, quod Martinus V.
indulgētiis concessis, omnes Christianos ad bel-
lum, in Boëmos movendum invitavit, plurimos
etiam impulit: sed & infelici successu. Quia de
re consuli potest Cranzius Vandaliæ lib. 10. c. 36.

A. 1087.

C

Certum

Certum est autem quotquot hominum myriades, bellis istis Pontificiis implicati occubuerunt (occubuerunt autem penè innumeræ) de eorum profuso sanguine solis Romanis Pontificibus, bellorum iniustorum capessendorum autoribus rationem fore reddendam.
Τάντα δέ οὐ μετεργάνισθαι τῶν μελλόντων. Nam his speciminibus prælusum fuit facinoribus illis, quæ in Principes, Reges atque Imperatores Christianos tandem Romani Præfules immani planè ausu machinati sunt. Hic ego sanctissimos Henricos, fortissimos illos Fridericos, Othones potentissimos, cum Ludovico religiosissimo in medium queam producere, quibus à furiis Pontificum belluis conquiescendi, quin imò respirandi, tempus vix ullum concessum fuit. Necessum est, inquit Plutarchus in Apophthegmatibus, cum multis pugnet, qui multis vult imperare. Erant autem hic ea tempora, quibus non cum aliis regnare, multò minus subesse aliis: sed soli imperari, soli dominari volebant Roman. Præfules, in qua voluntate & cupiditate non causa, sed exitus belli duntaxat quærebatur, ut loquitur Seneca, & ne suo quidem, nedum alieno sanguini ab istis parcebatur, sed barbaro ritu, cædes cæde, sanguis sanguine expia.

expiabatur , ut habent verba Sallustii. Quis
turbas à Gregorio VII. motas ? Quis acies ab
Urbano II. instructas : quis classica à Pascha-
li II. cantata ? quis castra ab Innocentio II.
metata recenseat , aut recensita comprehen-
dere memoria queat ? Gregorius IX. cum
populum Roman. ad partes Friderici II. Imp.
inclinare cerneret, Apostolorum Petri & Pau-
li capita corripuit , & lacrymabili voce san-
ctorum reliquias populo commendans, ita o-
mnium animos immutavit , ut qui antea locii
erant atque subditi contra Imperatorem ar-
ma caperent. Refert Bapt. Fulgosus & E-
gnatius. Ne singula persequi necesse habe-
am , unius Iulii II. cuius historia patrum
memoriam ferè attigit , exemplum in medi-
um producam. Refert de illo Guicciardinus,
quod cum Cardinalis adhuc semper vastis im-
moderatisque cogitationibus turgidus extitil-
set, adeò ut sèpius turbandæ Italæ instrumen-
tum fuerit , ad Pontificatum promotus, omni
studio operam dederit , ut cupiditati accen-
dendi belli , qua flagrabat , satisfaceret. In
quo studio eo usq; progressus fuerit, ut Venetis
imperium & eripuerit, & restituerit pro libito.
Proditum est à Balæo, Ludovicum XII. Gallæ
Regem ab hoc Pontifice in eas redactum esse

C 2

angu.

angustias, ut convocato apud Turones Concilio
se tueri coactus fuerit in quo causam Regis agé-
te Philippo Decio, hæ fuerunt propositæ quæ-
stiones; An licitum sit Papæ bellum movere in a-
liquem Principem sine causa? An talis princeps
defendendo sua, possit invadere impetorem,
& ab eius obedientia se subtrahere? Cum ad hæc
quæsita responsum pro voto Rex tulisset, eoque
ad Iulium misso, ut paci acquiesceret, flagitasset:
precibus suis nihil aliud impetravit, quam quod
fulmine anathematis à Julio perculsus, & regnū
eius prædæ publicæ ab eodem est expositum. Bel-
lator hic insignis, cum acceptâ aliquando clade,
Roma egrediens, castra rursus in Regem Gal-
lum esset moturus, Petri clavem auream, qua
superbiunt Pontifices, in Tyberim proiecit his
verbis additis, *Quia clavis Petri non amplius va-*
let, valeat gladius S. Pauli. Qua de re extant fe-
stiva Phil. Melanthonis, Casp. Braschii & Vlri-
rici Hutteni Epigrammata. Bibliander quidam
inde colligit, quia Iulius Papa ius suum omne, si
quod habuerint à Petro Romani Pontifices, fu-
mini Tyberino resignarit, & ipsum & successo-
res eius hæreditate Petrina exutos & spoliatos es-
se. Memorabile autem de hoc Pontifice illud
est, quod à diversis scriptoribus in literarum
monumenta relatum, septennii spatio Pontifi-
cis istius immani tyrannide Christianorum oc-
cisa

cisa esse plus quām ducenta millia. Et tamen,
quod Guicciardinus scitè annotavit, omnes pri-
ores Pontifices clarissima atque ornatissima me-
moria Iulius iste superavit, apud eos nimirum,
qui veris rerum vocabulis amissis, rectaque lo-
quendi ratione confusa, magis Pontificum mu-
nus esse censem, armis & Christianorum sanguine
Pontificiæ sedis imperium augere: quām ad
illorum salutem (cuius gratia ipsi se à Christo in
terris vicarios constitutos iactitant) vitæ exem-
plo, & depravatis moribus corrigendis operam
dare. Verū enim verò audire hic mihi videor,
qui hæc partim extera, partim vetera esse dicti-
tent. Pontifices suadere & urgere bella in Ger-
mania posse: gerere ipsos non posse. Pragmati-
cam religiosæ pacis lantionem esse, quæ istius-
modi conatibus obstet, quam sibi non minus ne-
cessariam Episcopi Germaniæ, Lutheranorum
provinciis quaqua versus circumdati agnoscāt,
quām nos gratam nobis esse fateamur. Hic ego
primum illud Senecæ inculcatum velim: Non
ille solus militat, qui in acie stat: Sunt, qui pe-
regrè etiam arma gestant: iam non omnia pro-
priis: sed nonnulla alienis etiam armis bella ge-
runtur, quorum hostium planè insidiosa, ac
proin magis metuenda est bellandi ratio. Ita e-
nim fit, ut si frustrà bella gerunt, non miseri: Si
infeliciter, non deteriores evadunt, cum quo ho-

stium genere iniquâ sanè conditione configitur. Sed nunquid omnis præteriorum temporum memoria intercidit? Quis igitur anno supra sesqui millesimum vicesimo nono decreatum fecit Bononiæ, de Lutheranis aut ad Roman. sedis obedientiam reducendis, aut vi belloque delendis? Pontifex Clemens VII. inlementissimus ille fecit. Quis anno 46. peditum 10000, equites 500, cum coronatorum milibus ducentis in Germaniam misit, pro excindendis funditus Lutheranis? Quis nepotes suos misit, qui Germaniā ingressi, Lutherani sanguinis tantos torrentes se fusuros gloriati sunt, ut in his equi sui natare possint? Pontifex misit, Paulus ille III. scelus illud, flagitium illud, monstrum illud, horrendum, infandum, ingens, cui Numen ademptum. Quis Carolo V. & Ferdinando Imp. hortator fuit, ut exercitum, quo instructi erant, in Lutheranos potius, Turcis incomparabiliter peiores, quam in Turcas ducerent? Marcellus Papa fecit, & fecit hoc per Cervinum legatum, brevissimo eo, quo Rom. sedi præfuit, tempore. Alia inquis iam sunt tempora, pace statur religiosa, cuius beneficio de securitate nobis abundè caustum est. Cautum quidem: sed ab iis duntaxat caustum: qui in societate fœderis istius continentur. Hoc autem quid

quid ad Pontificem attinet? cui eo loco est pacificatione ista, ut oppressura ipsum videatur, nisi opus primatur. Simul etiam cautum ab iis, qui fœdere vel arctiori, vel secretiori late in alio ullo non obstringuntur, quæ qualia proximis annis sunt ligata diversis in locis, tum intelliget Germania, si contemnendis, quam cavendis hostibus melior esse desierit, aut ut pro Tacito Plutarchus potius sua mihi verba accommodet, si respicere magis, quam prospicere didicerit. Illud est, quod vereor, quodq; vaticino spiritu etiā non instructus, praesagire certò possum, Turcis, pacem aut inducias à Pontificibus Rom. longè certiores esse paratas, quam Evangelicis: Imò futurū tandem, si desperatam sibi deistis videat esse victoriam, ut quemadmodum Fridericum Imp. Sultano Ægyptio captivandum prodidit Alexander III. quemadmodum adversus Gallorum Regem, Baizetem Turicum monarcham in subsidium vocavit Alexander VI, & regnum Neapolitanum Othomannico Imperio, contra Regem Christianissimum munimenti loco esse voluit: ita libertatem Germaniae, Tyranno Turcico, Rom. Pontifex Iscariothico scelere prodat. Quid autem futurum dico? Quarta Luna nati simus operari, nisi iam iam in re præsenti versari nobis videbimus. Sigismundum Imp. victum à Turcis in Mysia referunt historiæ, Posonii

Tacitus in
Sertorio.

Baleus
f. 251.

Bale 9463.

Posonii

Posonii è fuga in Ascensionis provigilio vespertinis precibus interfuisse, & calamitates Reipub. Christianæ deplorasse: Noctu augusta Episcopi facies dormienti oblata, Ecclesiam ob Pastorum & Principum vitia affligi affirmavit, & Hungariam intestinis bellis post ipsius obitum flagraturam, armis Turcicis arsuram prædixit: Sacerdotes virga ferrea coercendos, religionem pri- scam, multis contaminatam erroribus, vaticinata est, Philippo commemorante. Rodolpho no- stro Imp. lactatissimo non dormientis facie Epi- scopi: sed vigilanti vultus Hungariæ atq; Au- striæ tristissimus ob oculos versatur, & se propter Pontificis & Iesuitarum latrocinia & perfidiam affligi, & intestinis bellis flagrare, Heidonibus, Vallonis, Tartaris, Turcis prædæ esse quiritur. Cum Valens Imp. Arrianus ad bellum Gothicum proficeretur, aiūt Isaacum religiosum Monachum ex eremo progressum e- quo Imperatoris apprehenso sic ipsum compel- lasse, Quò vadis Imperator, adversus Deum pi- gnatus, qui barbaros contra te nunc concita- vit, quia ab Ecclesiis eos, qui ipsum laudarant, re- pulisti. Desine igitur, si sapi, pugnare, & bellum Deus soperet, redde gregibus pastores suos con- tingetq; absque labore tibi victoria.

De Pontificibus verba feci hactenus, Rom. Imperii iuratis hostibus, Germaniæ inimicis

āπσόνδοις

āsonōdōis & verē pestibus. Nunc ad te conversus,
Rodolphe sacratissime, qui Reipub. Christianæ
culmen, patriæ columen es unicum, & divinitus
unctum, tibi ex infinitis subditorum myriadib⁹,
unum obtingere Isaacum opto, qui de præsentium
temporum necessitate monitorem se tibi ex-
hibeat, qui de calamitatū yeris causis edoceat.
Arma armis irritari, Plinius dixit iunior, & bel-
la ex arbitrio sumi, non ponī, Crispus scriptum
reliquit. Hæc de iis bellis veriora sunt verissimo,
in quibus pro præda saltrem militatur, aut ubi
ex victo nihil præter gloriā sumit victor, quem-
admodum Seneca loquitur. Quid nos autem de
iis bellis dicemus, in quibus de victorum non
bonis tantum existimatione vita, deniq; ipsa:led
salute, æternaque beatitudine agitur? Hic silen-
tium nobis tempus imponit, sermonem ipsa rei
gravitas intercipit, sub qua ad te conversi ô æter-
num numen, sic ingemiscimus, ô mucro Domi-
ni, quo usq; non requiesces? ingredere in vaginā
tuam: quiesce & sile: Dissipa Domine gentes,
quæ bella volunt. Cogita ô Deus super nos co-
gitationes pacis, & non afflictionis, & da nobis
novissima, & quæ expectamus, & invocabimus
te, nomenq; tuum celebrabimus sempiternis se-
culis. Amen.

Jerem. 47.

Jerem. 29.

D

Licentia

Licentiæ Petitio.

AM AD TE REVERENDE ET
Clarissime vir, Leonh. Huttere S. Th. Doct̄r
& Professor, affinis, Compater & Collega ho-
norande conversus sermonem meum dirigo.
Produxī in publicū, atq; ad pedes tuos procum-
bentem adduci curavi, Reverendum & Cla-
rissimum virum, FRIDERICVM BALDVINVM,
S.Th. Licentiatum & Professorem publicum, collegam nostrum.
De hoc non prædico, quibus laboribus, qua industria toto ado-
lescentiæ & juventutis tempore ad rationes exquisitas eruditio-
nis solidioris, tum sacræ, tum prophane elaboraverit. Adsunt e-
nīm hujus rei testes vivi, quibus partes has testandas præceptas
nolo. Non operam Ecclesiæ quadriennio ferè integro navatam
commemoro. Famæ enim publicæ succenturiatam præstare operā
reformido. Non concionum & lectionum publicarum, & disputa-
tionis solennis Specimina edita commendo aut recenseo. Quæ sin-
gula atq; omnia in oculōs atq; aures vestras incurrerūt, testimo-
nio omniū uti dignissima: ita passim cōpertissima. Illud unum est
quod testari me publicè, officii & conscientiæ ratio iubet, Eum
examini privato, eidemq; rigoroso adhibitum, ita Collegio no-
stro undequaq; satisfecisse, ut dignissimus fuerit judicatus, cui
honor & gradus in Facultate nostra summus, qui Doctoreus no-
minai solet, conferatur. Huius rei peragendæ causa hæc panegy-
ris instituta est, in qua ego quasi à ywō dī tñs constitutus, brabe-
um Candidato huic collaturus sum. Quam ad rem quia potesta-
te mihi ea opus est, qua tu frueris, Spectabilis Decane, Procan-
cellarie dignissime, illustrissimā: huius veniam abs te, qua par
est, officiosi animi obsequientia peto atque contendō. Qua, uti
non dubito, impetrata, perpetua & me, & ipsum observantia
tibi obstrinxeris.

Respon-

Responsio Spectabilis Domini Decani, viri Reverendi & Clarissimi,
Dn. D. LEONHARTI HUTTERI
Professoris Publici.



ON TEMPORI MAGIS, QVAM
loco huic amplissimo, Reverende
& Clarissime D. Doctor, brabeuta
dignissime: Compater & Affinis sin-
gulariter colerde: Non tempori in-
quam magis, quam loco huic amplissimo, O-
ratio isthæc, de Pontifice Romano, ipsiusq; capi-
tali in Ecclesiæ Lutheranas odio, jam abs Te ha-
bita, præclarè congruit. Fuit seculum superius,
tum multis aliis, tum hoc potissimum nomine,
verè felix ac fortunatum, quod vi sanctionis Pra-
gmatice, (quam pacificationem Religionis, sive
Transactionem Passavensem vulgo appellatæ)
prioris doctrinæ Evangelicæ professio, per Ro-
manum Imperium libera omnib; concessa fuit:
& Pontificorum animi, qui alioquin à religione
nostra erant alienissimi, sic in unum quasi quod-
dam ac indissolubile corpus nobiscū coaluerunt,
ut, sub diversissimarū licet Religionū profes-
sione, pacem suaviter coleremus, & nefas esset, cōdi-
tiones pacis huius, in qua universa totius Imperii
salus unicè fermè cōsistebat, à quoquā ullo modo
violari. Sic n. sonabat sanctionis illius Authētica:
Propter Augustanæ Cōfessionis doctrinam, religionem atq; fidem,

Cæsar, Ferdinandus Rex, cæteri q̄ Principes, neminem totius Imperii, quocunq; modo violent, nec ad deferendam Religionem suam, ceremonias atq; leges, quas in sua ditione vel jam insti-tuerunt, vel posthac instituerunt Confessionis Augustanae socii, mandatis aut alia quavis ratione cogant: sed hanc Religionem illis liberam permittant: simulq; bona, facultates, uctigalia, possessiones atque jura, sic ut pacatè eis possint uti frui &c.
Hac certè pace (liceat Augustini uti verbis) nihil gratiosius audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil utilius possideri poterat: Hæc simultates tollebat, hæc bella compescerat, hæc iras com-primebat, hæc discordes redabat, hæc cunctos in unum conglutinabat, hæc suum cuique tribue-bat, hæc ipsum deniq; Romanij Imperii florem conservabat. At verò hanc felicitatem non Ecclesiis tantum Lutheranis, sed universæ Reipu-blicæ Christianæ invidit Diabolus: & ut sanctis simæ huic pacificationi nervum omnem inci-deret, tūm per Pontificem Romanum, bestiam illam Tarpeiam, tūm per huius satellites, male-feriatos illos novæ societatis Esavv, Monachos, initio quidem per cuniculos, postmodùm verò aperto Marte, maximè strenuè advigilavit, hodi-éque advigilat: illis fretus consiliis, artibus, im-posturis, quas Oratio tua, Reverende Dn. Com-pater, sic vivis depinxit coloribus: ut aliquid ad-dere si vellem, actum agere meritò videri pos-se. Exhorrescit autem animus cùm ex una par-te nostratum quorundam hominū stupendam oscitan.

oscitantiam intueor , qui in utramque hodiè aurem quasi indormientes nihil quicquam periculi ex Consiliis Pontificiis, etiam pace cum Turcicinitâ, nobis extimescendum esse suaviter somniant: Ex altera verò parte detestandam Adversariorum malitiam expendo, qui usque adeò avidè Lutheranorum sanguinem hodiè sitiunt, ut vel cum totius Romani Imperii dispendio ac interitu , gladium in solos istos stringendum esse , clamitent . Respiciat nos D E V S ex alto & pro mirandâ sua virtute ac sapientia infringat & confundat conatus & consilia eorum , qui exercitui Israëlis opprobrium dicere , imò exitium minitari non verentur.

Sed, uti dixi non tempori tantum, verūm Ioco etiā huic amplissimo, Oratio tua, Vir Reverende, ac Clarissime præclarè convenit. Si quâ enim verâ ac propria laude valet nostra hæc Academia , hanc certè præ reliquis Academiis omnibus, suo quodam jure , sibi vindicat , quod secundum pium illud Megalani- dri E V T H E R I nostri votum , jam inde à primo fermè foundationis suæ Exordio , odio illa in Pontificem Romanum repleta flagravit longè acerrimo. Ex hac enim exiuit Tonitru illud , sive fulgur Angeli

D ; per me.

per medium cœli volantis, quod Regni Antichristiani sive Pontificii abominationem ac fœditatē detexit, detectam evertit, eversam usquehuc ita fortiter repressit, hodieque reprimit, ut vires, quas anxie quærit, pristinas recuperare nulla ratione possit. Quâ Ianè unâ in laude etiamnum VViteberga hæc nostra suaviter acquiescit.

Cæterūm paulò accuratius isthæc expendens, ad præsentem etiam hunc virum Reverendum & Clarissimum, FRIDERICUM BALDUINUM, S. Theologiæ Licentiatum, quem hîc procumbentem videmus, hanc ipsam Orationem tuam se adiungere, animadverto. Ut enim laudē quam ex spoliis spiritualis Ægypti, Regni nimirum Pontificii, jampridem retulit nostra hæc VViteberga, sartam tectam cōlervare, & ad seram usq. posteritatem propagare possit: ejusmodi opus est parastatis, qui & ipsi odio Papæ impleti, bellū istud sacrum DOMINI bellare nō tam velint, quam possint. Horum è numero, ut se quoq; esse testaretur Clarissim⁹ iste vir, nō modò annis superioribus utilem perquam operam Ecclesiæ DEI, tum apud Fribergenses, tum Olsicenses navavit, sed & nuper admodum à Serenissimo Electore Saxoniæ &c. Domino nostro Clemētissimo, ad capessendam professionem Theologicam legitimè hūc vocatus, in publicum prodire, & professione sinceritatis factâ, publicum à Collegio

Collegio nostro Testimonium, quod Doctoratum vocant, debitâ cum modestiâ petere voluit, imò debuit. Quàm verò dignè istud ὁρθοδοξίας νόμον παραδίδεις Βραβεῖον, à Nobis petat, utinam tām esset hoc in loco publico edisserēdi cōmoditas, quàm nobis fuit cognoscēdi , partim ex privatis συμβάσισ, partim verò ex publicis, ab ipso institutis, disputationū, lectionum, concionum exercitiis: sed verbis opus quid fuerit, rerum ubi insignia adlunt documenta?

Proindè non tām justa Rev. Tuæ D^{tis} intercessione, quàm ipsiusmet Candidati huius nostri meritis motus ego, pro ea, quâ nūc ex officio mihi delegato, fruor autoritate, & ex clementissima concessione S. Cæsareæ Maiestatis, nec non benignissimâ, Serenissimi Illuſtrissimiq; Principis ac Domini, Dn. CHRISTIANI II. Ducis Saxoniæ, S. Rom. Imperii Archimarschalli & Electoris, Landgravii Thuringiæ , Marchionis Miſniæ , Burggravii Magdeburgici &c. Domini mei Clementissimi, indulgentia, potestatem Reverendæ Tuæ Dignitati facio plenariam, jura etiam ac Licentiam tribuo, Reverendo & Clarissimo Candidato huic nostro, summos in Theologia honores, quos Doctoreos appellant, cōferendi: collatos publica renunciatione confirmandi: confirmatos usitatis ritibus atq; insignibus decorandi: idq; in nomine Sacrosanctæ & individuæ Trinitatis,

tatis, quæ est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Deus trinus in unitate, unus in Trinitate, DEVS benedictus seculis infinitis. Amen.

Juramentum.

Promotio.



VOD IGITVR FAVSTVM ET FELIX esse jubeat Deus omnis benedictionis, Pater ille lumen, à quo est omne donum bonum, & omnis donatio perfecta proficiscitur: Ego GEORGIVS MTLIVS, Theol. Doctor & Professor, te Frid. Balduine, Th. Licentiate, vir pietate, eruditione virtuteq; præstantissime publica Collegii Theologici voce, Theologiæ Doctorem creo, creatum renuncio, renunciatum proclamo, & ab omnibus pro tali agnoscendum habendumq; esse, publicè significo, in nomine PATRIS, FILII & SPIRITVS SANCTI. Et quemadmodum cœlestis Pater renunciationem Filii sui, summi Ecclesiæ Doctoris, voce sua cœlitus sonante inaugurarit, & Spiritus Sancti, in specie columbae descendens, apparitione, ad Iordanem insigniter exornavit: ita ardentibus votis Deum oro, ut publicum hoc testimonium tibi tributum, donis gratiæ suæ, & larga Spiritus sancti virtute obsignet & confirmet, & te nobiscum vas esse gratiæ suæ, & permanere, in usus Ecclesiæ sanctificatum, clementer patiatur. Et quia solennitatis causa placuit piæ vetustati, signis & ritibus quibusdam, renunciations istiusmodi augustiores reddere, quin imò solennitates istas utilissimis commonefactionibus potius condire: ego etiam usitatum morem servaturus;

I.
Cathedra.

Primum in hanc superiorem Cathedram te adductum colloco huius loci assignatione non tantum potestatem tibi conferens, sacra in scholis publicè docendi, profitandi, disputandi: sed sic etiam testificans, te non esse ex numero eorum, qui currunt non

munt non missi, aut honorem sibi ipsi rapiunt: secus quam Aaron:
sed partes docendi legitimè te asscutum esse.

At qui fundamentum doctrinæ nostræ sacer codex est, in
quo sola vox cœlestis Patris resonat: Hunc non mea: sed Apo-
stoli, imò Christi voce tibi commendo, ἡγέρετε τὴν ἀναγνώσει, ε-
πεντάτης γέραθας: eundemq; tibi aperio, reclusumq; claudio
iterum, ut probè memineris, ne quaquam tibi concedi, ut in do-
ctrina aliquid innoves: Sed ita stes doctrina divinitus revela-
ta, ut qua parte divina sonant oracula, tu intrepidè doceas:
qua parte silent illa, tunc verbo tibi uno hiscendum existimes,
hoc est, neg; addas quicquam ei, quod in verbis suo locutus est
Dominus, neg; auferas, ne vel plaz&tibi apponantur, quæ sunt
scriptæ in libro isto, vel auferatur pars tua de libro vitæ.

Impono etiam mitellam capiti tuo, consuetum quidem in-
signe docentium in Ecclesia, quorum honorata merito esse de-
bent & conspicua in populo capita: sed præcipue monumenti loco
tibi futuram, quo de protectione divina commonefas, quæ tibi
expectanda est certò sub periculis illis, quibus ordo noster plerūq;
est in hoc mundo, Christo ipso vate, obnoxius.

Addo insuper annulum aureum non inornamenti usum, non
privilegii tessera præcipue, quæ ordini nostro scis quam debe-
ant esse vilia: Sed eo potissimum nomine, ut memineris, hujus
quasi arrhae interventu despensatam tibi esse Theologiam sacro-
sanctam, cui fovendæ propagandæq; nihil minori, quam conju-
gali fide obstrictus esse debeas.

Deni j̄ sinu & complexu hoc meo te recipio, ut de concor-
diæ studio te admoneam, fraterno planè & coniunctissimo. Sua-
viculum est illud Psalmis, Ecce quam bonum & quam jucun-
dum est, fratres habitare in unum. Sed non est sinistræ manui
magis opus dextra, quam ordini nostro concordia, cuius in hoc
quasi apice salus fortunaq; omnis consistit, Tantum veritatem
& pacem diligite. Quapropter monitum te volo, ne quid geras
per contentionem, aut inanem gloriam & idioγγωμοσύνην: Sed ex
modestia alios te semper præstantiores existimes, & qui quan-

E

tusq;

II.
Liber.

III.
Mitella.

IV.
Annulus.

V.
Complexus.

tusq; Theologus sis, humilitatis & dilectionis studio praecipue testatum facis.

Quod superest unum, de honore isto novo & gradu sublimi, ex animo tibi gratulor, & quia nisi Domino benedicente, nihil in rebus quibusvis felix aut fortunatum esse constat: ardente pectore veneror Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, eundemq; largitorem omnis boni precor, ut sibi gratum, tibi honorificum, Ecclesiae salutare totum hoc opus esse jubeat, & nos universos vasa gratiae & misericordiae suae manere in omnes seculorum aeternitates patiatur. Amen.

QVAE STIO PVERI:

Proponenda quidem AbANTONIO, Dn. D. GEORGII MYLII filio,
sed ob angustiam temporis intermissa.

Vtrum jure humano generale & visibile
aliquid Ecclesiae caput possit
constitui?

Questionis
& Responsi-
onis Autor
F.B.D.

VONIAM HAE DICENDI partes pro more Academico ab Amplissimo Theologorum collegio mihi sunt iniunctæ, nolo prolixia vel pueritiae vel inscitiæ meæ excusatione, quod aliis in more est, tempus inutiliter terere. Nā jam ante constat Patribus Academiæ conscriptis, hanc sive moris sive honoris legem non ad adultiores & eruditos, sed pueros & discipulos pertinere. Proinde te quoq; Reverende & Clarissime Domine Doctor, eam, de qua

qua pauca jam propono, quæstionem bene con-
sultetur, confido. Et quia jammò Dominus
parens de molitionibus & insidiis Romani Pon-
tificis differere cepit, operæ pretiū me facturum
existimo, si ad pertexendam prolixam hanc Ro-
manæ tyrannidis telam meæ quæstionis filum
adferam. Novit autem Dominus Doctor, quām
insolenter sese jactet Pontifex Romanus non
tantùm Ecclesiæ sponsum & œcumenicum pa-
storem, judicem universalem & fidei Magistrū,
qui neq; errare, neq; prout particularis persona,
hæreticus esse poscit: Sed & ut caput, & (ut eius
Gnathones nonnunquam loqui solent) Monar-
cha Reipub. Christianæ, qui jurisdictionem ha-
beat verè coactivam, eamque Ecclesiasticam &
civilem; quam utramq; à Christo acceperit, sed
illam immediatè & per se, hanc saltem in ordi-
ne ad bonum spirituale, ita ut summam potesta-
tem habeat in rebus Ecclesiasticis & politicis di-
sponendi pro arbitratu. Nihil jam dicam de jure
gladij politici, quem Cacum Romanum prædo-
num more olim ad se rapuisse, & etiamnum
mala fide possidere extra controversiam est: ni-
hil etiam agam de jurisdictione Ecclesiastica, in
qua quomodo præter omne jus & fas Biblicalum,
contra manifestā inhibitionē Salvatoris Luc, 22,

Bell. lib. 4.
de Rom.
Pont. capp.
sex priorib.

contra luculentā Apostoli doctrinā, qui omnes Ecclesiæ ministros adæquat i. Cor. 3 cōtra expressa œcumenicorū cōciliorū decreta: & deniq; cōtra praxin universæ Ecclesiæ orthodoxæ, dominium officiosè quidem; sed ô virosè, ambiat, itidem à nemine piorum ambigitur. Hoc tantum quæro: si consenserint ordines Imperii adeoque omnes Ecclesiastici & politici regiminis adsertores in universo orbe Christiano, ut publicè pacis & tranquillitatis causa ad compescendos hæreticos, & dignoscendas controversias unum aliquod generale caput Ecclesiæ eligatur purum in fide, quod reliquis in orbe Christiano Monarchico regimine præsit, utrum hoc è re Ecclesiæ fore centreas? Neq; eni in latere potest Dominum Doctorem, quantis verborū ampullis ingeminaverint Magistri Nostri in nupero Ratisbonensi Colloquio, in omni bene constituta Repub. oportere esse judicem & caput unum aliquod visibile, quod evidenter iudicet sententiam ferendo, uter litigantium steterit, uter causa ceciderit, quod nihil aliud videtur esse, quam iure quodam caput visibile Reipub. Christianæ, hoc est Ecclesiæ petere: Constat etiam quam speciosè crepare soleant, petiisse Tübingenles Theologos Ecclesiæ Lutheranæ caput visibile Patriarcham Constantopolitanum, usq; adeò nec ipsos omnino negare posse necessarium esse caput aliquod Ecclesiæ visibile; quin & hoc non ignotum est, non nullos

Magni

Magni nominis Theologos patrum memoriâ statuisse, si Pontifex Romanus Evangelium ad. mitteret, posse ei, propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub i- pso sunt & in posterum sub ipso erunt, superiori- tatem in Episcopos, quam de facto habet, jure humano etiam à nobis permitti. Videntur hæc vel unico blandæ pacis nomine ab blandiri ratio- ni sapientium, & vix quidquam aut optabili- us foret aut magis necessarium, exulceratis his Ecclesiæ temporibus, quam ad unum aliquem con roversiarum Theologicarum decisiones de- ferre, & in eius judicio unicè adquiescere. Ita e- nem & controversiarum numerus haud dubiè minueretur, & sacrosancta scriptura, ut materia litis, ut nasus cereus, ut litera muta, & tantum ad tempus adaptata non diffamaretur; & quæ vi- dentur alia hinc emergere commoda, quæ ob temporis angustiam lubens prætereo. Sed quia puerili meo judicio diffido, nolo temerè quid- quain adstruere, sed potius ut ea de re pluribus differendi occasionem tibi, Reverende Domi- ne Doctor præberem, hæc, uti jussus sum, in medium adferre volui, etiam atque etiam orans, ut quid de quæstione posita sentiendum, quid commodè sequendum sit, haud gravatim expo- nas: quo nomine & me perpetua gratitudine, & Illustrissimum hunc Amplissimumq; confessum singulari gratia & favore tibi devincies.

Cusanus e-
pist. 2. de u-
su commu-
nicat. ad
Bohemos.

Brevis Responsio ad præcedentem quæstionem.



AB PE MVLTVMO: DE MONARCHICO REL
publ: Christianæ regimine cogitanti mihi venit in mentem illud
Chrysostomi, quod juris Canonicī compilator Gratianus laudavit
dist. 4 c. mali § quicunq; Quicunq; desideraverit primatum in
terra, inveniet consufionem in cœlo, nec inter servos Christi com
putabitur, qui de primatu tractaverit. Quæ sane memorabilius sententia questio
ni propositæ breviter & verè respondet. Nam utut Monarchia commendationem
suam obtineat in rebus civilibus: in Ecclesia tamen, præter unicum illum & præ
potentissimum omnium dominorum dominum & Monarcham Iesum Christum
alium agnoscere, cui, licet in doctrina puro & orthodoxo, iuridictio suprema in
omnes totius orbis Christiani Episcopos tutò deferatur, neq; s; neq; possibile est.
Primum enim tale jus humanum, si quod esset, refragaretur divino, quo vel ipso
nomine nullum esset. Vult enim δέκατον & δέκατος noster Christus Iesus
inter servos suos non dominum sed servitum Luc.22. Principes Gentium (ait)
dominentur illis, qui majores sunt, potestates exercent inter eos: non autem i
ta erit inter vos, sed quicunq; voluerit major fieri, sit vester minister. Vult non
unius hominis; sed Ecclesiæ judicium, Matth. 18. illudq; supremum nominat, à
quo appellare non licet: Sed qui Ecclesiam non audiicit (inquit) sit tibi velut
Ethnicus & publicanus. Ad quam normam judicii Christiani, id est, à Chri
sto Servatore promulgati Apostolus Paulus, suarum quoq; Ecclesiarum componit
controversias 1. Cor. 5, 4. ubi ne quidem manifeste sceleratum proprio motu ex
communicare audet, sed communicato Corinthiorum spiritu, ut ibi loquitur, &
1. Cor. 14. non unum tantum velut ultimum & latenter judicem sententi
am ferre suaderet, sed Prophetarum spiritus prophetis subjectos esse jubet; quem
admodum & ipse suam quam ad Philippenses scribit epistolam, Diaconis & epi
scopis ejus loci legendam & censendam nisit. Philip. 1. Accedit, quod omnia ea
quæ ad unitatem integrumq; Ecclesiæ perfectionem pertinent, diligentissime Paul
lus enumerat Eph. 4. at nullam Monarchie visibilis mentionem facit: recenset ca
pit a fidei; enumerat gradus ministrorum Ecclesiæ, nominat alios Apostolos, alios
Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, alios Docteres, hos omnes à Chri
sto datos Ecclesiæ dicit, unius autem generalissimi capitis & Archisuperintenden
tis ne quidem verbo meminit, quod absque crimine infidelitatis facere non
potuisset, si de jure tale caput peti vel dari posset: quin potius Christum unicum
Ecclesiæ caput agnoscit Eph. 1. 4. 5. capp. id quod inter alios Cyrillus etiam

obser-

obseruavit in cap. 17. Iohannis, lib. II. cap. 26. Adde, quod & Apostoli tale do-
minium inter se non agnoscunt: Nam D. Paulus & scilicet Apollo ministros ponit
nam per quos credimus se plantasse, Apollo riguisse ait, & tamen eum qui plantat,
eumque qui rigat, unum esse, addit, 1. Cor. 3. & Apostolus Petrus, quem Roma-
nus Superintendens Antecessorem suum, sed falso jacit ac, omnibus omnino Ec-
clesie ministris hujusmodi primatum interdicit, præcipiens, ut pascant quidem
gregem, sed non dominentur in cleris: tales igitur vel papatum vel primatum
nulli prorsus concedere, & nec sibi ipsi arrogare audet: quin & in primo illo ge-
nerali Apostolorum concilio Hierosolymis coacto neque ipse unus, nec alius quispiam
solus a Iesu suit sententiam ferre & præscribere alijs; sed ita visum est nobis, in-
quiunt, & Spiritui Sancto, communicantes consilia & vota, quibus eadem dele-
gata erant officia. Quod ergo nec Christus Dominus nec Apostoli jusserint aut per-
miserint, vel suo quodam exemplo introduxerint, illud neque juris neque moris esse
in Ecclesia facile credimus: quo circa quod D. Bernhardus ad Eugenium Papam
scripsit, nos quoque hic repetimus: Forma Apostolica haec est: dominatio interdi-
citur, indicitur ministratio. Et quod Petrus non habuit, dare non potuit, sed dedit
successoribus, quod habebat, non primatum, sed solicitudinem Ecclesiarum. Et si
maxime nec Christus nec Apostoli primatum & Monarchiam haec in Ecclesia in-
te, dicarent; fieri tamen non posset, ut salvo iure pietatis, pacis & tranquillitatis
publicae universale regimen Ecclesiae ad unum aliquem devolvatur. Nam quis
tam moderati esset animi, ut tantum honorem tam modestè ferret, quin alios
quantanvis magni judicij & acuminis viros praese respectui haberet: non sine
manifesto Ecclesiæ scandalo, schismate & detimento. O infinita ambitio ex-
clamat Bernhardus Epist. 42. & insatiabilis avaritia: cum primos honorum
gradus meruerint in Ecclesia: non ideo corda quiescunt, duplice semper astuantia
desiderio, quo magis ac magis dilatentur in plura & ad celsiora sublimentur, &c.
Quis porro tam angelici esset ingenij, qui tot causarum & controversiarum, quæ
inuidere possunt, nervum teneat, iisque non dicam decidendis sed examinandis sus-
ficiat? Quis omnium omnino donorum Spiritus Sancti, quæ ipse distribuit prout
vult, partipem se glorietur, ut neminem ne quidem in minimo negotio sibi pre-
pollere existimet? Hoc nimis est ut & oportet, quod Apo-
stolus prohibet Rom. 12. Quis tam divini judicij, ut nulla prorsus in re errare pos-
sit, aut si errat, quis tam providus, ut alios errorc suo in errorem non pertrahat?
quis denique monstrabit regnum, ducatum, urbem, oppidum, collegium & Socie-
tatem, ubi & in qua talis Ecclesia Monarcha eligi constituique debeat? nemo tam
bardus est, aut stupidus, quin illud ipsuni in hac regnorum, fidei & morum distra-
ctione factu prorsus esse impossibile intelligat. Proinde, ut cetera incommoda &
adversaria in hoc intempestivo ministrorum Ecclesiae primatu temporis lucrandi
gratiâ taceam, nullam omnino Monarchiam in Ecclesia Christi agnoscimus, &

1. Pet. 5.

Act. 15.

de considerat.
lib. 25.

ncc

nec ad Superintendentem Romanum, nec ad alium quicquam Magistrum nostrum vel divino vel humano iure Dominum, primatum & papatum hunc Ecclesiasticum deferendum esse censemus, sed potius cum Gregorio Magno hunc ipsum Antichristum vel Antichristi precursorum esse dicimus intrepide, qui universalem Episcopum se nominare non veretur. Maneat caput unum & unicum Ecclesiae sue Iesus Christus: maneant distincti ministrorum Ecclesiae ordines: maneant communicata ministrorum vota & sententiae, maneat unica controversiarum in religione norma Sacrosancta scriptura: Sic & fidei conservabitur puritas, & schismatum devitabitur acerbitas, & inter docentes simul & discentes longè facilior obtinebitur tranquillitas.

Gratiarum actio Doctori Iuris, D. Georgio Rodossio, commendata, jam haberi non potuit.



Bibl. vint. D - 1543,36^t

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0478441

